



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CHRISTIFIDELES QUH** TEMPLUM DEO DICATUM IN
HONOREM SANCTAE ANNAE IN LOCO VULGO
VARENNE APPELLATO, IN DIOECESI SANCTI IOANNIS-LONGOLIENSI,
AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Christifideles qui provinciam
Quebecensem incolunt peculiari profecto modo, ut probe novimus, a tribus iam saeculis sanctam Annam clara
veneratione prosequuntur. Venerabilis Frater Bernardus Hubert, Episcopus Sancti Ioannis-Longoliensis, hanc pietatem
alere ac fovere cupiens, cleri populique vota et preces interpretatus, petiit ut ecclesia paroecialis Sanctae Annae dicata in
loco vulgo Varennes sita ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur. Cui petitioni libenti animo obsecundantes, Nos, de
Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu atque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine,
harum Litterarum vi, statuimus ut sacra aedes quam diximus ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur,
omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competit. *Mandamus praeterea ut ea
serventur quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum,
servanda sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus.* Confidimus sane fore ut fideles Quebecensis provinciae ad sanctam
Annam colendam magis magisque incitentur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII
mensis Iunii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana